# LEO PP. XIII.

Dilecte fili Salutem et Apticam Bnem. Erga omnes Xtifideles in maximo instantis mortis discrimine et in durissima tantae neces
sitatis hora constitutos eo abundantius Romanus Pontifex coelestes thesauros erogare, traditamque divinitus sibi opitulandi potesta
tem debet exercere, quanto tunc maior premit anxia aegritudo ac pene conficit acerba tristitia furentibus undequaque teterri
mis et callidissimis hostibus qui leonis instar rugientis adstant ut devorent, et quorum efferata rabies nisi eorum sanguine, idest aeterna
animarum ruina expleri potest. Hinc Nos quibus licet immeritis omnes oves suas Xtus in Petro pascendas dedit, ne illis unquam
in extremo vitae mortalis agone aliquid detrimenti culpa Nra contingere possit, in partem potestatis et sollicitudinis Nostrae ceteros
Pastores vocamus, ut sibi comparatis omnibus Apticae Sedis et Nrae Auctoritatis subsidiis maiori atque uberiori eorum gregis utilitati
prospiciant, facilemque ad assequendam aeternitatem aditum aperiant, et horribiles hostium impetus comprimant atque repel
lant. Cum itaque sicut accepimus, tu qui in Epum Ecclae Brigantien electus existis Bnem Apticam cum indulgentia plenaria in
articulo mortis impertiendam aegrotis istius Civitatis et Dioecesis Brigantien concedere posse plurimum desideres, Nos ani
marum Xtifidelium tuae curae commissarum saluti paterna caritate consulere cupientes tibi ut postquam munus consecra
tionis susceperis, et donec regimini dictae Ecclae praefueris et quoties in Civitate et Dioecesi Brigantien aliquem utriusque se
xus Xtifidelem in mortis articulo constitutum esse contigerit, si vere poenitens et confessus ac S. Communione refectus, vel quatenus id fa
cere nequiverit saltem contritus nomen Iesu ore si potuerit, sin minus corde devote invocaverit, et mortem tanquam peccati
stipendium de manu Domini patienti animo susceperit, toties per te ipsum seu per unum aut plures presbyteros probitate mo
rum praeditos saeculares seu cuiusvis Ordinis vel Instituti regulares a te ad tui libitum semel vel pluries, et quandocum
que opus fuerit delegandos, eligendos, et deputandos, et quo ad Moniales illarum confessarium ordinarium, Apticam Bnem
Nro et Romani Pontificis pro tempore existentis nomine cum plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia et remis
sione impertiri libere et licite valeas, facultatem Aptica Auctoritate tenore ptium concedimus, tribuimus et impertimur. In con
trarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem ut tam tu, quam delegati et eligendi pro impertienda Bne
et plenaria indulgentia in articulo mortis huiusmodi constitutis applicandi formulam a Benedicto XIV rec. me. Praedeces
sore Nro in suis Litteris sub plumbo Nonis Aprilis Anno MDCCXLVII expeditis praescriptam, quam tibi tradi manda
mus omnino adhibeatis. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXXI Julii MDCCCLXXXV Pontif. Nri Anno Octavo.

M. Card. Ledochowski

Concordat cum originali quod asservatur in tabulario Secretariae Brevium
E Secretaria Brevium die 21 Aprilis 1907.

Petrus Dejmanis
Tabulario Praefectus

SECRETARIA BREVIUM

Ita est
Nicolaus Marini
Subst. a Brevibus

Capanna
1429 Z22.

Dilecto filio Josepho Alves de Mary
in Epum Ecclesiae Brigantien electo.

EXPENSA
Libellae Viginti duae
AGENTIA
Libellae Decem

(5) — Breve de Leão XIII, de 31 de julho de 1885, para dar a benção papal duas vezes no anno, sendo uma no dia de Paschoa; este breve é valido durante o episcopado em Bragança.

(6) — Breve de Leão XIII, de 31 de julho de 1885, para dar a benção apostolica aos fieis em artigo de morte, quer confessados e communngados, quer contritos; este poder pode ser delegado. Breve valido durante o Episcopado em Bragança;